



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XI. Refertur controversia de Ecclesiis civitatis Cemelensis & Castri Nicæsis.
Explicatur locus Hilari, qui ait Ingenuum Episcopum Ebredunensem
Metropolitani semper honore subnixum fuisse. Vnde ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

rescriptis agebatur. Vt vel hinc intelligere possimus plurimam lucem causæ Arelatenfis Ecclesiæ attulisse stabilitam semel auctoritatem Episcopi Theſſalonicenſis, ad cujus exemplum Arelatenſis Episcopi potestas formata est.

IX. Capite ſequenti aliud jus Arelatenſi Episcopo tribuitur, nimirum ut ſi Metropolitanus quiſpiam, propter aliquam fortassis ſimultatem, compromiſſi ſuo Episcopo peregrè profecturo dare noluerit litteras formatas, abſque quibus quemquam egredi provincia vetat, liceat Arelatenſi Episcopo cum duobus Metropolitanis provinciarum quæ contigua ſunt cuncta diſcutere, & pro cauſæ qualitate obſervanda conſtituere. Quibus verbis Arelatenſi Episcopo tribuitur potestas decernendi, cum conſilio tamen duorum Metropolitanorum.

X. Anno dein quadringenteſimo ſexageſimo tertio Hilarus Papa ſcribens ad eundem Leontium, adverſus Mamertum Episcopum Viennenſem, qui invitis Dienſibus Episcopum conſecrare præſumpſerat, idque in parte provincie à qua eum depulerant reſcripta Leonis, renovat decretum de celebrando ſingulis annis univerſali Galliarum Concilio; jubetque ut in tali proxima ſynodo præſidens pro jure ſuo Leontius quæ ſunt acta diſcutiat, & à Mamerto rationem facti ſui ſub univerſo cœtu fraternitatis exigat, ac deinde omnium literis notitiæ Hilari iſta referat, ut ipſe quod ſancto dictante Spiritu fuerit faciendum ad comprimendos actus illicitos ordinet. Coacta ſynodus ad Hilarum plenè reſcripſit Mamertum, inſuperhabita diſiſione provincie à Leone decreta, & contempto Leontio, Dienſibus Episcopum dediffe contra quàm ei licebat. Hunc contemptum Leontij, cujus moderationem in hac cauſa valde commendat, agrè tulit Hilarus, non ſecus ac Bonifacius, quem Illyricanos Episcopos ob Ruſi Theſſalonicenſis contemptum caſtigaffe ſuprà vidimus. Præcipit deinde Mamertum conveniri per Veranum Episcopum Lugdunenſem, eſque culpam hanc condonari, ſi pollicitus fuerit ſe nihil tale deinceps facturum. Quòd ſi in contumacia duraverit, ad Arelatenſem Eccleſiam eadem quatuor civitates revertantur quarum Mamertus non fuerat ordinatione contentus. Illius verò qui licèt indebitè Dienſibus ordinatus erat Episcopus ſacerdotium relinquit arbitrio Leontij, ut ejus judicio dignitatem ſibi collatam aut retineat aut amittat. Quòd ruruſum repetit in epiſtola ad Episcopos provinciarum Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpine, quarum Episco-

Tom. II.

pi tum haud dubiè conveniebant ad ſynodum Leontij Episcopi Arelatenſis, quemadmodum eos ſuprà conveniſſe vidimus ad Concilia Hilarij.

XI. Superest ut heic agamus de cauſa Ingenui Ebredunenſis, & Auxanij Aquenſis, qui tum acriter contendebant de Eccleſiis civitatis Cemelenenſis & caſtri Nicænſis, quæ Leonis Papæ decreto unitæ erant, in quarum verò una, Nicænſi nimirum, ut opinor, Auxanij Episcopum conſtituerat cum auctoritate Papæ Hilari: ad quem cum delata propter hoc facinus fuiſſet Ingenui querela, ſtatuit ille ut cuſtoditis omnibus quæ ſuper Eccleſiis Cemelenenſis civitatis vel caſtelli Nicænſis à Leone definita fuerant, nihil Eccleſiarum juri noceret ordinatio novi Episcopi præſumpta ab Auxanio, ſed ſtatuta correctionis forma permaneret ut ad unius antiſtitis regimen prædicta loca reverterentur; ita nempe (ſic enim intelligendus omnino eſt Hilarus) ut Episcopus ille ordinaretur ab Episcopo Ebredunenſi, ad cujus metropolim pertinebat Cemelum in provincia Alpium maritimarum ſitum. In epiſtola porro illa ait Hilarus Ingenuum Ebredunenſem Alpium maritimarum provincie Metropolitanum ſemper honore ſubnixum fuiſſe. Vnde colligunt viri docti non jure egiſſe Hilarium Arelatenſem, qui Armenitarium è cathedra Ebredunenſi deturbavit ea etiam de cauſa quòd abſque ejus auctoritate, qui Metropolitanus erat, ſe ordinari conſenſerat. Veruntamen metropolitana illa Hilarij Arelatenſis auctoritas non impediabat quin Ebredunenſis etiam Episcopus eſſet Metropolitanus, jurèque metropolitico uteretur in provincia Alpium maritimarum, excepto tamen ordinationum jure, quòd ad ſe revocabat Hilarius tanquam ad primum Galliarum Metropolitanum. Quòd ſi omnium per Gallias Episcoporum ordinationes ad ſe pertinere debere putabat Hilarius, planum eſt potiori jure contendiffe cum ejus auctoritate ordinari debuiſſe Metropolitanos, qui alium ſuper ſe Episcopum non habebant, qui eorum electionem examineret, quàm Metropolitanum Arelatenſem. Quamquam ſi quis heic vellet movere controverſiam, poſſet non infulſè affirmare eum non eſſe verborum Leonis ſenſum qui prima fronte occurrit, ſed explicanda ea eſſe ſecundum jus quòd ex decreto ejuſdem Leonis Theſſalonicenſi Episcopo competeſcit in ordinationibus Episcoporum Illyricianorum; nimirum ſic Hilarium ordinationes ſibi omnium per Gallias ſacerdotum vindicaſſe, ut non antè ordinari poſſent quàm de electione eorum relatio ad eum facta fuiſſet à Me-

Vide Marconin
lib. de Primat.
ſ. 73.

O

tropolitano provinciæ, ac Metropolitanorum etiam ordinationem omnino auctoritate ejus fieri debuisse. Quod nihil adimit de potestate Metropolitanorum in suis provinciis, modò præscriptum sibi modum servant; ut patet ex epistola sancti Leonis ad Anastasium.

XII. Stabilita semel auctoritate Leontij per provincias Gallicanas, nihil vetat quin viri eruditi existimare possint synodum quæ adversus Lucidum Presbyterum Arelate convenit anno CDLXXV. fuisse generalem; præsertim cum ei subscripsisse reperiantur aliquot Episcopi finitimarum provinciarum, & inter hos, Patiens Lugdunensis, & Euphronius Augustodunensis. Suspiciari præterea possunt synodum Lugduni eodem anno celebratam in causa ejusdem Lucidi, Leontij auctoritate coactam fuisse, illùmque in ea præfuisse secundum datam ipsi formam à Papa Hilario. Sed in re adeo obscura nihil affirmare auserim, donec major lux affulgeat.

CAPVT XXXV.

Synopsis.

I. *Æonius successit Leontio, ut colligitur ex epistola Ruricii Episcopi Lemovicensis ad Æonium. Probabile est istum quoque usum esse amplæ illa potestate in cuius possessione fuerant prædecessores ejus.*

II. *Moriens autem Æonius, successorem suum designavit Casarium, qui plurimis Conciliis generalibus præfuit.*

III. *Concilium Agathense congregatum est permissu Regis Alarici & sollicitudine auctoritateque Casarii. Probatur multis rationibus & testimonio Ruricii ad Casarium.*

IV. *Similis huic locus apud Hieronymum, qui refertur.*

V. *Casarius præfuit Concilio Agathensi, eique primo loco ante omnes Metropolitanos subscripsit. Nimirum ob vices apostolica sedis. Edixit synodus uti singulis annis synodus generalis haberetur, cujus congregande curam reliquit Casario. Qui sint Hispani Episcopi in epistola Ruricii. Synodus Tolosana, quam in sequentem annum destinaverat Casarius, habita non fuit.*

VI. *Aliam aliquot post annis synodum generalem intra Gallias congregavit Casarius, ex qua scripsit ad Papam Symmachum de his quæ in Concilio illo decreta fuerant.*

VII. *Casarius ad eum mittit qui peterent confirmationem privilegiorum Ecclesie Arelatensis. Refertur libellus precum ab eis porrectus Symmacho.*

VIII. *Expenduntur verba istius libelli, ex quibus multa notatu digna colliguntur.*

IX. *Symmachus ita confirmavit privilegia Ecclesie Arelatensis ut ceterarum Ecclesiarum privilegia diceret esse servanda. Ejus interim auctoritatem extendit in provinciam Hispaniam. Majores causa ad sedem apostolicam referenda. Itaque Episcopi Gallie & Hispania in regno Gothorum existentes pertinebant ad ordinationem Episcopi Arelatensis.*

X. *Minatur Symmachus abstentionem Episcopis Gallicanis, si detrectaverint accedere ad Concilia qua*

auctoritate Episcopi Arelatensis fuerint congregata. Metropolitanis vocabulo intellexit Arelatensem.

XI. *De necessitate accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi.*

XII. *Pallium Casario concessum à Symmacho. Cyprianus auctor vita Casarii emendatur. Metropolitanus Galliarum dignitas.*

XIII. *Eximiam illam dignitatem in Casario agnovit Hormisdas, qui ad eum scripsit de sua ordinatione. Emendatur alia Hormisdæ epistola, in qua omisum est nomen Episcoporum Scythia.*

XIV. *Enumerantur alia synodi in quibus Casarius præfuit. Causa Contumeliosi Episcopi Reicensis judicata est in Concilio generali. Emendatur epistola Agapeti ad Casarium, qua gravi mendo laborat in editionibus.*

I. **L** EONTIO Arelatensi Episcopo proximè successit Æonius, ut docet Ruricius Episcopus Lemovicensis in epistola gratulatoria ad illum data in initiis ordinationis ejus. *Agnito, inquit, transitu sanctæ & venerabilis apud me recordationis Domini mei decessoris vestri Leontij, animo & mente confusus, diu multumque tristatus sum; quòd & impeditibus peccatis meis tanto antistiti occurrere non merueram, & tali essem parente privatus. Et infra: Nunc verò, ut dicere institueram, accessione ipsius Domini mei & apostolatus vestri ordinatione comperita, ad officium vestrum mittere cogitabam. Hinc ergo patet falli eos qui Ioanem collocant inter Leontium & Æonium. Ceterum non invenio istum quicquam nota dignum egisse quò probari possit ipsum quoque usum esse per Gallias auctoritate illa in cuius possessione erat Leontius. Ex regula tamen hæc à nobis toties proposita affirmare licet ad ipsum cum fede transisse vetera privilegia, tametsi clara & aperta istius rei testimonia non exstent, adeoque illum decessoribus suis non fuisse minorem. Nam in epistola Papæ Gelasij ad ipsum scripta anno CDXCIV. exstat aliquod vestigium, licet valde tenue, generalis sollicitudinis Æonij, cui, ceu Vicario sedis apostolicæ & primo Galliarum Metropolitanò, ea cura committitur, ut Gallicanos Episcopos certiores faciat vigere inter ipsos & sedem apostolicam alterna viscera gratiæ. Omisso itaque Æonio, veniendum est ad Casarium, hominem primarium in republica partium, & qui vicariam Arelatensium Episcoporum dignitatem extulit in immensum.*

II. *Erat Casarius patria Cabillonensis in provincia Lugdunensi prima. Tyrocinia pietatis in monasterio Lirinensi posuit admodum juvenis. Inde verò abductus ab Æonio concive suo, primùm ordinatus ab eo est Diaconus, deinde Presbyter. Aliquantò post Æonius sentiens imminere sibi supremum diem, clerum & populum civitatis ad se vocans, admonuit illos de Casario post mortem*